TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0535**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Collezione Toppo

Letteratura e Storia del Friuli

526-542

6a · Manoscritto 1

In nomine Dni Jesu Xsti amen. Post ipsius Sanctissimam passionem, ascensionem ad Patrem, omnes Apostoli missis sortibus per Mundi climata se contulerunt ad predicandum uerbum, per quo omne genuflectatur Celestium Terrestrium, et infernorum, in quo saluati sumus et licet Beatiss.mo Apostolorum Principi Petro datta fuit super universalem Ecclesiam ligandi atq. soluendi in Coelo et in Terra plena auctoritas, atq. potestas. Tamen Spiritus ubi uult spirat ipsum Apostolorum Principem una cum coapostolo Paolo, super quos, uelut super firmas bases Ecclesia Sancta fundata est, Romam deduxit, ubi quidem Apostoli mirifice orationibus et Doctrinis ipsam Ecclesiam suf...

N° 535

Series Patriarcharum Aquilejensium, ed altre notizie storiche sul Patriarcato con documenti apografi.

sec. XVII. in latino.
(formato in-4°.)

Collez. co. Fr. di Toppo.

Preside in predicta Urbe, et [illegible] mentorum genere. tandem cum Sancto fortunato suo Diacono, decolatus Aquileiam Ecclesiam sacro Martirio decorauit, et premiterq ad palmam Sanctissimas Virgines Nobiles Aquileienses, Eufemiam, Dorotheam, Teclam, et Herasmam, he prime Virgines fuerunt que [illegible] amore passe sunt quarum corpora in predicta Ecclesia quotidie mir[illegible] miraculis.

Cuius

In nomine Domini Jesu Christi amen. Post ipsius Sanctissimam passionem, ascensio=
nem ad Patrem, omnes Apostoli missis sortibus per Mundi climata se contule=
runt ad predicandum verbum, per quo omne genuflectatur Celestium Terres=
trium, et infernorum, in quo salvati sumus et sicut Beatiss.mo Apostolorum
Principi Petro datta fuit super universalem Ecclesiam ligandi atque solvendi
in Coelo et in Terra plena auctoritas, atque potestas. Tamen Spiritus ubi vult
spirat ipsum Apostolorum Principem una cum coapostolo Paolo, super quos,
velut super firmas bases Ecclesia Sancta fundata est, Romam deduxit, ubi
quidem Apostoli mirifice orationibus et Doctrinis ipsam Ecclesiam sub
Nerone sevissimo decoraverunt. quorum Discipulus Beatus Evangelista Marcus,
qui Evangelium ab ore Petri scripsit ex Precepto eiusdem Petri Predicati=
onis ad Urbem famosissimam Aquileiam, caput Italie venit a Predicto Petro
baculum Pontificatus accipiens. Ubi per aliquantos annos verbum salutis predi=
cans, et cum Apostolo affirmans quoniam hic est Christus. Evangelium propria
manu scripsit quod hodie in Ecclesia Aquileiensi omnibus volentibus, quia lumen
sub modio poni non debet sed super Candelabrum, ut luceat omnibus hominibus,
~~qui radio predicationis~~ et sic primus predicator in Aquileia fuit Beatus
Marcus Evangelista qui radio predicationis sue infinitis populis Donum aquisitis
iam fundata Ecclesia vultum Beati Petri Magistri sui videre desiderans et ire
Romam populum occulte dimitteretur satagebat, sed nutu Dei vociferante Po=
pulo pastorem petentem, Beatus Hermacoras in pastorem gregis electus est,
tunc cum Beato Marco iter arripiens Romam pervenit, et ab Apostolorum
Principe Petro baculum accipiens Pontificatus, et velamen sacrum suscipiens
Prothoepiscopus Italie Provincie ordinatur et regressus ipse Hermacoras ad Urbem
Aquileiam Ecclesiam miro componens moderamine, seniores, et levitas ordinavit,
quos ad Civitates alias predicationis offitio transmittebat. Tandem circulo vi=
ginti annorum arculo detrasso. ab ipsius ordinatione, pretermissis eius sacris
et gloriosis operibus et Miraculis, que in legenda ipsius declarantur, sub Secrastro
Preside in predicta Urbe, et Nerone Monarchiam gubernante per diversa tor=
mentorum genera. tandem cum Sancto fortunato suo Diacono, decolatus
Aquileiam Ecclesiam sacro Martirio decoravit, et premittens ad palmam
Sanctissimas Virgines Nobiles Aquileienses, Eufemiam, Dorotheam, Teclam,
et Herasmam, he prime Virgines fuerunt que [illegible] amore passe sunt,
quorum corpora in predicta Ecclesia prope die mi[illegible]raculis.

Cuius

Sanctiss.mi Pontificatus precibus Patria tota est ab invasione Demonum liberata. Imo nec Aliquis de Aquileiensi Provincia potest ubiq3 fuerit à Demonio vexari, nec mori morsibus scorpionum.

Secundus huic Sanctiss.mo Protho presuli successit Eloricus Illarius Patriarcha qui populum sibi comissum in fide, verbo, et opere confortans, expletis ordinationis suę annis decem una cum Taciano Archidiacono suo et alijs tribus Dionisio Largio et Felici bonum Certamen certantes cursum vitę suę glorioso martirio sub Numeriano Principe consumaverunt.

Tercius post hunc successit Crisogonus Patriarcha, qui decem annis mirifice rexit Ecclesiam et multis virtutibus decoravit

Quartus Successit Sodorus Patriarcha, et completo ordinationis suę anno undecimo per agonem Martirij regna Cœlestia est Adeptus

Quintus Successit Crisogonus Patriarcha plenus divinis operibus anno nono ordinationis suę feliciter migravit ad Xtum

Sextus successit Agapitus Patriarcha, qui rexit Ecclesiam annis tredecim.

Septimus successit Fortunatus Patriarcha, qui rexit Ecclesiam annis quindecim.

Octavus Successit Valerianus Patriarcha, qui rexit Ecclesiam annis octodecim.

Nonus successit Benedictus Patriarcha, qui rexit Ecclesiam annis vigintiquinque

Hi omnes licet sub magnis fidelium persequentibus tamen Ecclesiam auxerunt eorum sacris predicationibus et exemplis.

Posmodum successit Beatus Cromatius Patriarcha Mirificus Doctor contemporaneus Gregorij ac primi Doctoris Sancti Hieronimi de eiusdem natus opido strigonis in divino Aquileiensi sito inter viros illustres ipsum Cromatium commemorat, et in quodam epistola sibi scripsit, nam suo Cromatio beatissimo Episcopo Aquileiensi huius tempore Rufinus presbiter Aquileiensis floruit Doctor eximius qui multos libros ad Scolasticam historiam composuit et de greco transtulit in Latinum et plures epistolas scripsit ad Hieronimum et ipse ad ipsum sedit autem Cromatius annis XVIIII plenus bonis operibus, migravit ad Xtum fuit autem tempore Theodori Magni.

Augustinus Patriarcha Cromatio Successit, qui post annos XVIII ordinationis suę vere Christi populum auxit et lucratus est.

Adelphus Patriarcha sedit annis novem.

Maximus Patriarcha sedit annis viginti.

Januarius Patriarcha sedit annis tribus.

Nicetta

Nicetta Patriarcha sedit annis triginta duobus cuius tempore imperante Teodosio
scolastico sub anno Domini 425; Attila flagelum Dei volens sibi Romanum
subiugare Imperium, et debellatus est Romanos quibus adherebant omnes occident-
ales, ubi occisi fuerunt 180 milia hominum, et rediens in Panoniam, et rea-
sumptis viribus iterum intravit Italiam et destruens omnes munitiones Fori
Iulij, i.o Castrum Fori Iulij, quod nunc Civitas Austrie appellatur destruxit
obsedit Aquileiam tribus annis, et colem ubi nunc est Castrum Utini pro sua
.. fieri fecit. Tamen peccatis exigentibus Aquileiam post tres annos
captam ac destructam esse per dictum Attilam dicto Nicetta Patriarcha ab
infidelibus crudeliter interfecto. Deinde occupavit Venetiam, Vicentiam,
Brisciam, Bergamum, Mediolanum Sincinium Concordiam, Altinum quod
nunc Taruisium appellatur, et multas alias Civitates igne ferroque combussit.

Post Atile mortem, quem Deus ad preces, et perorationes Beatissimi Pape primi
extinxit. Sedit in Aquileiensi Ecclesia Marcelianus Patriarcha annis 28: hoc
tempore Zeno Romanorum imperium gubernabat. Odoacer Rutenorum
Dux occiso quodam Augustolo, qui Romanum Imperium invadere presumpserat,
Romam ingreditur, et totius Italie ferè per novem annos tenuit principatum,
quem Teodorus Rex Gothus, qui dictus est Donatus cum inumerabili secum exercitu
suam Aquileiam in campis uberrimis debelavit.

Marcellinus post Marcelianum in Sedem Patriarchalem, constituitur quam rexit annis XV:
et non modicum à Patre Anastasij Augusti reformata est Ecclesia in Urbe
predicta, quam propter destructionem Attile depopulatam evenit quantum
populum auxit.

Stefanus Patriarcha sedit annis XII. hic sub Iustino Christianissimo Imperatore et Rege
Teorico regnante in Italia, qui erat Arianus et Arianos protegebat multa pro
Fide passus est: Tandem non solum Ecclesiam sed totam provinciam reformavit.

19 Macentius Patriarcha sedit annos quatuor menses quinque

20 Macedonius Patriarcha vir clarus et piis temporibus Iustiniani vitam ducens lauda
bilem, et per totam provinciam Italie fratres confortans in X.to post annos 25
ordinationis sue felici in pace quievit.

21 Paulus Gloriosus Antistes, huic successit, sub Iustino secundo Imperatore cuius
tempore Longobardi Italiam intraverunt, quorum istoriam Paolus Historiographus
enarat, ac primum in Forum Iulium intrantes, et quod post Attile nequitiam
tam in Aquileia, quam per Ducatum Fori Iulij reformatum fuerat devastatur
i.o Civitatem Austrie, quae tunc ut superius dixi Castrum Fori Iulij appelabatur.

Destruxerunt

Dextraxerunt, qualiter autem, aut quomodo, et quid de Sucissa Filijs, et Filiabus accidit, ac etiam cuius inductu Longobardi Italiam intraverunt, ipsa declarat historia: hic Paulus Patriarcha timore eorundem Longobardorum, cum reliquijs et Thesauro Ecclesiæ, se ad gradum insulam contulit, quam novam Aquileiam appellavit, et ibi annis XI: Pontificatus sibi vitam finivit.

22: Probinus Patriarcha Paulo successit, qui apud Gradensem insulam, uno anno vixit et migravit ad dominum.

23: Helias Patriarcha successit mortuo Probino, qui sedit annis XXII hic fuit ut dicitur heretica pravitate respersus, qui tria capitola Sinodi Calcedonensis suscipere voluit, sed postmodum errorem suum rogavit, hic de voluntate Beati Pellagij Papæ Sinodum XX Episcoporum fecit. hic de voluntate Beati Pellagij predicti Gradiensem Ecclesiam, quæ nova Aquileia ut supra dictum est appellata fuit totius Metropolim ordinavit, ad quem Gradus Imperator devotione ductus Cathredam Beati Marci transmisit, ut ibi esset ubi Sanctus Hermacoras suam habuerat. legitur quod sint duo Venetæ una quæ in antiquitatum historijs et est in Panoniæ partibus in qua etiam historia continetur, usque ad fluvium Danubij terminatur. Alia vero quæ nunc mari Adriatico contigitur, et in alijs maritimis insulis, quam post eversionem Aquileiæ, quæ prima Venetæ caput fuit incolæ habitare cæperunt, huic Ecclesiæ misit Beatus Pelagius epistolam valde utilem, quam scripsit Beatus Gregorius adhuc Cardinalis existens.

24: Severus Patriarcha successit mortuo Heliæ, qui sedit annis XV: hunc quidam Smaragdus Princeps cum tribus Episcopis Ravenam iniuriose duxisse compulerus eos comunicare Episcopo Ravenati, qui erat Hereticus, sed divino iudicio dictus Smaragdus à Demonio correptus Severius ad Ecclesiam revertitur et bonis operibus plenus, vitam finivit.

25: Joannes Abbas defuncto Severo successit, qui de voluntate Agetulphi Regis Longobardorum in Aquileia factus est Patriarcha, in Grado quoque Candiano defuncto ordinatus Epiphanius primicerius Notariorum et tunc ortus est Sisma, et cæpit gradus Patriarchas habere, qui Joannes sedit in Aquileia annis 12: circa annos Domini CLX.

26: Martianus Patriarcha post Joannem sedit annis tribus

27 Fortunatus Patriarcha sedit post Martianum annis octo

28: Felix Patriarcha sedit annis 14 hic apud Regem Longobardorum familiaris extitit, qui ipse Rex Multum fuit Benignus, et gratiosus

29: Joannes gratiosus sedit annis tredecim.

30 Cui successit alter Joannes qui sedit annis decem.
31 Petrus Patriarcha sedit annis duodecim Justinianus secundus Imperator huius temporis:
universalis Sinodus apud Aquileiam celebratur, circa annum Dni CLXXX:
32 Severus Patriarcha successit Mortuo Petro vir bonus ac pius ac omni simplicitate
praeditus, et ad Christi servitia promptus, qui sedit anno uno.
33 Calistus successit Severo hic sedit XL annis vir nobilis atq. conspicuus et non quod
ab Elia Patriarcha predicto usq. Calixtum Patriarcham omnes Patriarchi habitabant
Cormoni et in Civitate Austriae, quae tunc ut supra dictum est castrum Fori Julij
appellabatur, sibi ipsum fecerunt et erat tunc temporis Fidericus Episcopus, quo
descendente amator successit, quod advertens dictus Calistus, qui erat Nobilis et
egregius vir, quod Episcopus habitaret in sua diocesi, cum ducibus et Nobilibus et ipse
Patriarcha sociatus vulgo ruralem vitam ducere displicuit sibi et dictum amatorem
de Civitate Austriae expulit, et in eadem sibi habitationem elegit qua de causa
Pemmo dux Foroiuliensis Contra Calixtum apprehendit discordias habuit et inito consi-
-lio cum multis Nobilibus Longobardorum ipsum Calixtum apprehendit et eum ducens
in quodam castrum iuxta mare ipsum demergere voluit iubente Deo eum fecit sed
ipsum in carceribus deiecto pluribus pane tribulationibus sustentavit, sed Rex
Calixtus edificavit Eccl. et Pallatium Civitatis Austriae
Liudprandus Longobardorum hoc capto Pemmone, et alijs nominatis, qui sibi adhae-
rant ipsum Pemmonem deposuit et alios in carceribus longo tempore cruciavit.
Calixtus vero cum honore rediens est susceptus. Pallatium et Ecclesiam in dicta
Civitate construxit in qua feliciter omnibus succedentibus in pace quievit
34 Signadus Patriarcha sedit annis XLij hic etiam in predicta Civitate habitans eam multi-
Egregia stirpe Enimoaldi Longobardi
pliciter augmentavit

Sanctus Paulinus Patriarcha sedit annis 15: tempore huius cesante Regno Longobardorum,
35 Beatus Paulinus ad gloriosum Carolum Magnum Imperatorem ivit a quo obtinuit
privilegia valde plura et rediens prospere et in Civitate Austriae rediens in vita multis
Paulinus ad Carolum Magnum ivit
miraculis claruit, et in morte, cuius corpus in predicta Ecclesia quiescit.

Ursus Patriarcha sedit annis quinque hic primus contra Venerium Patriarcham Grad-
36 ensem de Grado Aquileiensis Ecclesiae reclamavit
37 Maxentius Patriarcha sedit annis XXVI ad cuius preces procurante Lotario Filio Ludo-
vici Imperatoris Papa Euganeus una cum prefato Ludovico Imperatore universalem
Sinodum celebraverunt Mantuae, et facta proclamatione contra Venerium supradictum,
quod sibi falso nomine Patriarchatum usurparet, et de Gradu plebe sua deposito Venerio
ipsa Gradus plebs Aquileiensi Ecclesiae in pleno Sinodo adiudicata fuit.

Andreas

38 Andreas Patriarcha sedit annis X. hic proclamatione facta de Gradu per Leonem Papam et Lotarium Imperatorem dictam plebem obtinuit, et adiudicata est plebs Ecclesie Aquileiensi.

39 Venantius Patriarcha sedit annis tribus.

40 Teudmarius Patriarcha sedit annis XXI hic cum prefato Lotario et etiam sub Ludovico eius filio Ecclesiam mirabiliter gubernavit, et pro Gradiense plebe reclamavit et etiam obtinuit in Papiam.

41 Lupus Patriarcha sedit annis tribus hic à prefato Ludovico in proclamatione sua susceptus.

42 Valepertus Patriarcha sedit annis XXVI hic Carolum secundum filium Ludovici à Papa Joanne VIII coronatum Romæ sociavit.

43 Federicus Patriarcha sedit annis LIII iste mirabiliter Ecclesiam gubernavit huius tempore imperante Carolo tercio Ungarorum, gens à Sitia egressa Panoniam, quo fungitur finibus Ecclesiæ Aquileiensis, primitus venit et electus ibi habitare coepit, erat enim gens crudelissima carnem comedens humanā, et sanguinē bibens pro potu, quos dictus Federicus Patriarcha à longe effugavit redens inde pacem quæ caput extat extat Italiæ super cuius sepulcrum tale est Epitafium.

Conditur inferius nitido Patriarcha lapido
    Preclarum nomen cui Federicus erat
Ungrorum Rabiem magno moderamine
    Fecit et esperiem pacem habere bonam
Egregius Pastor mitens dum pasceret agros
    Semper ubique gregi pabula bona dedit
Hunc Deus Omnipotens proprio dictavit honore
    Post hunc Angelicis consociando coris
Tu quoque Precursor Christi Baptista Joannes
    Pondifici meritis auxiliare tuis

44 Leo Patriarcha sedit annis 22: hic pro libertate Ecclesiastica se morti esponens à quodam Rodaldo Longobardo occisus est cuius Rodaldi bona omnia Ecclesiæ Aquileiensi confiscata fuerunt per sententiam Principum ut inferius apparebit.

45 Ursus Patriarcha sedit annis XXIII hic tempore Berengarij secundi, totus virtuosus et prudens pro Ecclesia multum fecit laboriosus, et solicitus in Civitate Austriæ plenus dierum in pace quievit fuit enim circa annos Domini CCCXIII

46 Lupus Patriarcha sedit annis VIIII.

47 Honghelfredus

47 Honghelfredus Patriarcha sedit annis XXIIII cui Berengarius secundus postea Otto primus multas imutationes, et privilegia contulerunt, hic fuit Nobilis genere et omni probitate conspicuus.

48 Rodoaldus Almificus Patriarcha sedit annis XLII Nobilis genere sed Nobilior mente. ab Imperatoribus Ottone secundo et tercio plura privilegia obtinuit, et inter cetera persen-dentiam Principum coram prædictis Imperatoribus obtinuit quidquid inter planem, et linentiam habebat quidam Rodlandus Logobardus de quo facta est superius mentio, qui secorem Patriarcham interfecit.

49 Ioannes Patriarcha sedit annis XVIIII hic ab Ottone tercio plura privilegia obtinuit, et adversus quendam Ursonem, qui se Patriarcham gradensem dicebat coram Beato Henrico Imperatore, cuius uxor fuit Beata Cunigundis Virgo de Grado plebe sua reclamauit.

50. Poppo uenerabilis Patriarcha sedit annis XXII hic in duobus Consilijs Romę et Rauene celebratis coram Ioanne Papa XVIIII et Magno Conrado Imperatore adversus dictum Ursonem uocatur et citatur per literas Apostolicas, et non com-parente de Gradu plebe prędicta proclamauit, in quibus Consilijs gradus adiudicata est plebs Ecclesię Aquileiensis, et dictum Ursonem omnesque suos prædecessores falso Patri-archatu nomen usurpasse, ipsoque procurante omnes Tesauri Ecclesiæ, libri, Calices, paramenta, et alia uasa aurea et argentea, librum seu Euangelium, quod Beatus Marcus Euangelista propria manu scripsit cum corporibus Sanctorum, quę per Paulini Patriarcham metu Longobardorum ad prædictam gradum insulam deposita fuerunt etiam alijs reliquijs ad Aquileiensem Ecclesiam reportata fuerunt Templum de nouo constru-xit iste Beatus Pontifex et Monasterium Sancti monialium extra Muros Aquileię, quod opulentissime dotauit prædictum templum una cum duobus Romanę Ecclesiæ Cardinalibus, et uiginti alijs Episcopis solemniter dedicauit, cui dedicationi inter-fuit Conradus prædictus Imperator, et Ioannes Papa duo Sanctorum corpora, uide-licet Martij Papæ et Quirini Episcopi, et martiris transmisit. Tradidens eidem Poppi potestatem super tredecim Episcopatus uidelicet: Tergestinum, Sauonensem, Pole-nsem, Parentiensem, Vicentinum, Veronensem, Tridentinensem, Mantuanensem, et Comanensem, qui potestatem cum ceteris regalibus dictus Conradus concessit, atque firmauit, multaque bona fecit pro ipsa Ecclesia, quę narare per singula nimis longum esset in Aquileiensi Ecclesia requiescit in medio Ecclesię in cuius sepulcro uersus scripti sunt.

Poppo Sacerdotum Dux, et decus Ecclesiarum
Gloria Romani, spes simul Imperij
Constrictus uinculis humanæ conditionis
Ecce sub hac mole, fit cinis ex homine
Instituit ut Paulus fuit omnibus omnia factis
Textę studens Domino dupla talenta suo

Hic locus

Hic locus est testis, quibus ipse resplenduit actus
Ille quidem donis, moribus, atque probis
Scortaus istam Christo fundauerat aulam
Ultima principio, quæ dedit ora suo
In libro Plebo duodeno, parte locato
Agne Dei uiui te rogo parce uiro.

51 Oberardus Patriarcha sedit annis V. de quo nihil inuenitur dicendum.
52 Lothegotdus Patriarcha sedit annis XVIII etiam de gradu plebe proclamauit et tam
per Alexandrum secundum, quam per Henricum Imperatorem tercium dicta
plebs rivindicata est, et utrosque super XVI Episcopatus prædictos, et de regalibus
Data est potestas, hic construxit Monasterium Sancti Stephani de Aquileia
extra muros, in quo erant Canonici regulares: nunc autem seculares, huic autem
concessit et dedit dictus Imperator Ducatum Fori Iulij, et Marciam Histriæ et multa
alia largitus est, et super eius monumentum in Aquileia hi uersus scripti sunt.

Lothegotdus iacet miser in monumento
Hic præsul dictus nomine non merito
Sed quia mortalis me peior non erat ullus
Christi Filij Dei uiui miserere mei
A morte perpetua libera me Domine
Crux Christi sit mihi requies.

53 Renengarius Patriarcha sedit annis quatuor.
54 Sigeardus Patriarcha sedit annis octo. Huic Henricus tercius Imperator dedit
marcham Carniolię, et multa alia concessit, et concessa per alios confirmauit,
et Vrbanus Papa secundus sibi omnia confirmauit circa annos 1089 Domini
MLXXXVIIII.
55 Henricus Patriarcha sedit annis sex
56 Federicus Patriarcha sedit anno uno
57 Vdolricus sedit annis XXVII hic cum Henrico Imperatore quarto Romam
uadens pro ipsius coronatione propter discordiam, que erat inter Pascalem
Papam et ipsum Henricum, Pascalis captiuus sub dicto Valderico traditur
custodiendus, cui idem Valdericus, non sicut custos, sed sicut humilis seruus
famulabatur, tandem factis compositionibus Henricus coronatur et prosperante
vante ipso Patriarcha, pax firma inter Imperatorem et Papam facta est,
propter quod tam à Papa quam ab Imperatore gratias multas obtinuit.

58 Gevardus Patriarcha sedit annis octo hic de Villa Primmeriati versus Ciuitatem
tatem austria ortus est, tandem plenis operibus migrauit ad Christum.

59 Peregrinus

59 Peregrinus Patriarcha sedit annos 31. tempore istius Honorius secundus Papa fuit in Aquileia, huius etiam tempore Innocentio secundo Papa coronat. Lotarius Imperator cui coronationi interfuit idem Peregrinus de regalibus fuit ab ipso Imperatore solemniter inuestitus.

60 Gotofredus Patriarcha sedit annos XII hic de regali prosapia ortus, Ecclesiam suam mira prudentia gubernauit.

61 Voldericus secundus Patriarcha sedit annos 20 qui legatus Apostolice Sedis factus est. Federici primi consanguineus tam Adriano quarto, quam Alexandro tertio confirmationes privilegiorum obtinuit. Huic Federicus omnia privilegia imperialia et regalia confirmans marchia Histriæ et Carniolię ducatum et comitatum Foroiulij, et multa alia loca, et castra, et terras inter Palauem, et linentiam Iacentia concessit et per alios concessa confirmauit, dedit etiam eidem Patriarche, et Ecclesię Aquileiensi montem Silicis cum omnibus pertinentijs suis, et post recordationem factam inter Alexandrum tercium et Imperatorem fecit idem Imperator Voldaricum Patriarcham per totam Italiam suum Generalem Vicarium, hic duplicem habuit legationem, iacet in Aquileia in cuius monumento hi versus scripti sunt.

Alter Voldaricus hic Patriarcha benignus
Fluctibus illęsam sismatis Ecclesiam rexit
Destruit fratres suos, hos ipse vocauit
Cum iustis maneat gaudia post ideat.

62 Peregrinus secundus sedit annis XIIII. iste fecit multa bona Ecclesijs et inter alia reparauit Ecclesiam Ciuitatensem, et decorauit multis clenodijs, et fecit tabelam argenteam valde pulcram in dicta Ecclesia, sed mirabiliorem in Ecclesia Aquileiensi, que propter Pastorum incuriam post longum tempus fuit Venetijs pignorata, quam ipsi Veneti hodie pro pretioso seruant thesauro iste cepit primo amicitiam habere, et contrahere cum Venetis...

63 Voldericus Patriarcha sedit annos XIII. hic ab Henrico quinto et Ottone 4.o confirmationes privilegiorum obtinuit coram eis, et coram Federico 2.o Marchionatum Histriæ quem Dux Bauariæ Ludouicus nomine tenebat, præsentias Principum obtinuit in resignatione facta per ipsum Ducem de huiusmodi Marchionatu per omnes Imperatores predictos, dictus Patriarcha successive inuestitus est cui dictus Otto montem Silicis concessit, et dedit, hic multa sanctitatis opera in vita sua fecit que Deus post obitum eius demonstrauit, nam eius tumba marmorea in Ecclesia Aquileiensi in aere diu pependit circumquaque quatuor digitis super terram, et adhuc solum in uno angulo modicum tangit de terra alij tres anguli minime tangunt. hic etiam dicitur quod mater eius eueniens eum visitare, et reperiens eum mortuum dixit heu Fili quid das mihi ut mecum portem: et eleuauit brachium et Mater sua cum accepit et secum portauit.

Valderici Miracula

64 Bertoldus

64 Bertoldus Patriarcha sedit annos XXIIII Ducis Maramini filius fuit et serenissimae
Vngariae Matris Sanctae Helisabeth Lantogravia, hic Archiepiscopus Coloniae existens,
et in Patriarchatu assumptus, qui Federico adherens, et faciens usque ad eius
depositionem honores multos, et privilegia pro Ecclesia obtinuit ab eodem et multa
bona idem Patriarcha una cum Patre et Matre Ecclesiae contulit de ipsorum Patrimonio,
et specialiter Carintia, Carniolia, et Marchia, et etiam frater isti Patriarchae omnia
iura, quae habere poterat, in Marchionatu Histriae renuntiavit coram Imperatore, et
Principibus, petens Patriarcham et Ecclesiam pro eo de iure suo huiusmodi investiri
quod factum fuit per dictum Imperatorem etc. donationem montis Silicis confir=
mavit huius tempore Clinus de Romano tyrannidem exercitabat, et idem Patriarcha,
eo quod adhesit Federico indignationem sedis Apostolicae incurisset ad curiam Romanam
cum maxima comitiva Baronum et Principum accedens, cui serviebat in mensa
Dux Austriae, et Carinthiae, sed specialiter Dux Carinthiae.

Duces Austriae et Carintiae serviebant Patriarchae

Et Rex Boemiae Pincerna vinum ferebat in mensa, ibi magnalia ostendens
ab Innocentio 4° gratiam et Benedictionem promeruit, et rediens de Romana
curia per plures annos feliciter rexit Ecclesiam felici pace quievit.
Dicitur cum primo intravit Aquileiensem Ecclesiam in introitu intra Ecclesiam,
fortiter respiravit, et hunc versum spiritu sancto dixit: Haec est requies mea in
seculum seculi, et ibi ordinavit sibi fieri monumentum et sepultus est.

65 Gregorius de monte longo Patriarcha sedit annos XVIII hic factus Patriarcha
per Papam Innocentium quartum anno Domini MCCLII venit ad sedem ante pro=
motionem suam existens Honorius Papa missus fuit Legatus contra Federicum
iam dispositum qui Parmenses, qui sibi rebellaverant obsidebat. Gregorius cum
gente Ecclesiae venit dictis Parmensibus in subsidium, quod videntes Parmenses
civitatis exeuerunt, et cum gente Ecclesiae in Federici exercitum irruentes eundem
Federicum cum toto exercitu eorum spoliis in tentoriis acceptis, quae tentoria sunt
hodie in Ecclesia Civitatensi per dictum Gregorium deportata expulerunt non
sine magno obrobrio atque damno. Hic Gloriosus Antistes multa et magnalia
gravatus est, multas guerras per libertatem Ecclesiae habuit cum diversis, et prae=
cipue cum Ducibus Carinthiae, et Comitibus Goritiae qui multum Ecclesiam infestabant,
tandem predictam Ecclesiam non sine magnis laboribus et tribulationibus potenter
resistit et gubernavit proditores iuxta demerita puniendo: mortuus est in Civi=
tate Austriae, quam mirabiliter dilexit, et iuxta corpus S. Paulini honorifice
sepultus est anno Domini 1264

66 Philippus Dux Carinthiae eodem anno fuit electus in Patriarcham quem Dominus
Gregorius X. confirmare noluit fuit tamen Capitaneus totius Forijulij

et vacavit

Vacavit Sedes annis 4: huius tempore capta fuit Civitas Austrie proditore rei
gestae Castelanos faventibus quibusdam intrinsecis, et expulsi fuerunt, et capti
ferè omnes boni, et divites populares, et eorum bona accepta, sed eodem anno
Rex Boemie, qui ut ex vasalagio misit Capitaneum huc, cum magno exercitu
pro redemptione ipsius Civitatis, qui Capitaneus eam obsedit. Tandem redeuntes,
qui superbis restitit, proditores sub certis pactis terram Capitaneo dederunt,
quam pristinae, et propriae restituit libertati.

67 Raimundus della Torre Patriarcha sedit annis 25: hic existens Episcopus
Cumanus factus Patriarcha per Dominum Gregorium X. anno Domini MCCLXXIII
iste in adventu suo libertatem Patriae dedit, pacem cum Comitibus Goritiae fecit, Sacilum
à Domino Girardo recuperavit, qui idem Dominus Girardus pro dictis receptis
omagium, et fidelitatem debitam cum sacramento prestitit: accessit idem Dominus
Raimundus anno Domini 1277 ad Dominum Rodulphum Regem Romanorum illustrem,
et habito colloquio adinvicem ad Patriam est ~~reversus~~ reversus. Veneti cepe-
runt occupare terras Ecclesiae in Histria, qua de causa idem Dominus Raimundus
cum Venetis grandem guerram incepit, que annis 11 duravit, hoc tempore dicti Veneti
Tergestum obsidebant Dominus Patriarcha volens suis fidelibus succurrere congregato valido
exercitu venit in subsidium Tergestinorum, quod Veneti sentientes nullo expectato
fugere ceperunt, relictis ibus que habebant clamantes et vociferantes: la
Barcha la Barcha, che vien il Patriarcha. Tergestini exierunt sentientes
Auxilium, et invenientes multos ceperunt, et omnia eorum spolia abstulerunt
et terram quam dicti Veneti de novo fecerant iuxta Tergestum, vel Tergestum,
quam vocabant Romagna totaliter destruxerunt. Tandem facta pax, et proclamata
fuit anno Domini 1281 mortuus est Utini et honorifice in Aquileiam deportatus est in Capella
1299 Sancti Ambrosij sepultus anno Domini 1299.

68 Petrus Patriarcha sedit anno uno hic licet magnanimus esset antiquus dierum
modicum supervixit iacet in Utino sepultus in Ecclesia S. Mariae de castro Utini anno Domini 1300

69 Ottobonus Patriarcha sedit annis 13: qui existens Paduanus Episcopus factus est
Patriarcha per Dominum Bonifacium Papam 8 hic mirabiliter et fortiter regna-
re incepit, multa debita solvit Ecclesiae Romanae fecit Salinas iuxta Maranum
fecit et precio tenuit, Sacile totum quo venit anno primo huius tempore Dominus
Rizzardus de Camino cum valido exercitu obsedit Spilinbergum et habuit sub
certis pactis, qui Dominus Rizzardus faventibus sibi multis Castelanis de Foroiulij,

contractum

Contractum multum damnificavit: isto tempore fuit captus Dnus Enricus de Pram-
pergo adherens dicto Domo Rizzardo, et decapitatus in Utino eodem tempore illi de
Budrio, rebellaverunt, et cum auxilio Comitis Goritie, dictum Castrum esset for-
tissimum gentibus, et victualibus munierunt, quod Castrum dictus Patriarcha obse-
dit, et divino iudicio operante nullo credente accepit, nemine leso de suis,
et dictum castrum dirui fecit et omnes intrinsecos habuit carceratos, eodem anno
obsedit castrum Porpeti, et habuit plura alia castra mirabilia operando, et facilius
detenta per Dnum Rizzardum predictum recuperavit. Hic Patriarcha fuit ad
Imperatorem in obsidione Brixie et ibi per dictum Imperatorem cum imperiali auxi-
lio de regalibus suis fuit honorabiliter investitus, et coram Imperatore Duce Legopa-
- rdo Austrie et Duce Carintie, genibus flexis coram Dno Patriarcha stantes de eorum
feudis eidem Patriarche investivit, qui Duces eidem Domino Patriarche coram pre-
dicto Imperatore servierunt ad mensam uno eorum existente dapifero, et altero
pincerna anno Dni 1307. predictus Dnus Rizzardus veniens ad presentiam Dni
Ottoboni pro feudorum suorum investitione recepta investitione de ipsis, et ipso Dno
Rizzardo amicabiliter a predicto Dno Patriarcha recedente ipse Dnus Rizzardus fa-
ventibus sibi multis castelanis terram Utini invasit et statim secuta est.
Nam dictus Dnus Rizzardus debellatus fuit, et vix evasit ubi unus de Dominis Spilim-
bergis interfectus fuit, et multi alij Nobiles captivati; et multa alia fecit que cum
brevitatis omitto, se ad iter versus curiam Romanam contulit et dum esset in
Comitatu Placentie infirmitate detentus in loco qui dicitur Arquar mortuus est
et ibi sepultus est.

70 Castonus della Tore existens Mediolanensis Archiepiscopus anno Dni 1317 per Dnum
Joannem Papam ~~anno Dni 1314~~ 12 factus est Patriarcha circa festum S. Silvestri non
venit ad Ecclesiam suam, sed ipso veniente dum esset Florentie, et equitaret, cecidit
cum equo de quo casu mortuus est et Florentie fuit sepultus anno Dni 1318.
de mense Augusti.

71 Pagganus della Tore existens Padoanus Episcopus factus Patriarcha, per Dnum
Joannem Papam anno Dni 1319. huius tempore Dnus Enricus Comes Gorite servitij
mortuus est anno Dni 1323 Duces Austrie et Carintie euntes in subsidium Padue
contra Dnum Comitem della Scalla fuerunt in foro Julio et damna maxima intule-
runt anno Dni 1325 de mense Decembris.

72 Dnus Beltrandus factus Patriarcha anno Dni 1333 et 1334 Rex Ungarie venit
Zaram cum 70: milia equitum, et steterunt ibi pluribus diebus, et Dnus Patriarcha
fuit ad loquendum cum dicto Dno Rege, et post recessum Dni Patriarche recessit Dnus Rex
cum toto exercitu suo et reversi sunt Ungariam attamen Zaratini submissi fue-
runt Dominio Venetorum propter validam tamen anno Dni 1349 Dnus Comes

Goritie

Goritiæ venit in Forum Julij Advocatus Ecclesiæ Aquilejensis cum magna gentium comi-
tiva, eo quod Patriarcha Beltrandus cum illis de Savorgnano, et comuni Utini tenebant ra-
tionem Nobilium virorum Fori Julij et cum dicto Dño Comite fuerunt Nobiles viri Domini
Franciscus de Castello Porpeto, Hermacoras della Torre de Castelutto Beacinus de Porcilijs.
Comune de Portunaonis, illi de Prata, de Brugera, illi de Vilalta, omnes cum exercitu
suo steterunt in campanea, usque ad ultimam diem octobris, et donec steterunt ceperunt
Faganeam, Savorgnanum, Sanctum Danielem, Buiam, et Tricesimum per vim, item ceperunt
Dominum Simonem de Valvasono, Dnum Paganum Filium Dni Hectoris de Savorgnano et
alios quamplures de Utino propter Bellum, et fregerunt vugios Utini. Item venerant ale-
mani et ibi steterunt per novem dies, et recesserunt à campanea propter malum
tempus. Præfatus Dnus Patriarcha cum comuni Utini, cum suis sequacibus iuit cum
magna comitiva et vicerit gentes Dni Comitis Goritiæ et eius vexila habuit et Utinum
conduxit, et adhuc sunt in Ecclesia maiori Utini, destruxit castrum Braulini, quod
erat proprius Dni Comitis Goritiæ, quod in eo stabant desertores stratarum. item Legatus
Dni Papæ inter dictos Dnum Patriarcham et Comitem Goritiæ fecit vegras die 2do Decem-
bris eodem millessimo, illi de Murutio, de Tricano, de Caporiaco, de Coloretto, de
Soffumbergo, omnes cum suo fortio fuerunt cum Dno Comite Goritiæ in eius subsidium
contra Dnum Patriarcham, eodem millessimo fuit magna mortalitas et fuit magna
fames per totum mundum, et duravit per duos annos. Item eodem Millessimo Uti-
num depreti sunt, Faganeam S. Danielem, Murutium, Per Tricanum destruxerunt
Susans item acceperunt cortinam Fambri. Item Dnus Beacinus de Porcilijs Capitaneus
de portu Naonis cum subsidio Dnorum de Spilimbergo acceperunt Turim Utini, accepe-
1350 runt Buiam non propter Famem. Item 1350 die 6 Junij Die Dominico Dnus Patriarcha
Beltrandus existens in Sacilo cum Dno Federico Savorgnano, Antonio de Carnea, Girardo
de Cucanea Ser Francisco de Nimis Ser Hector de Minlitis de Utino volens venire
Utinum ipsi Dno Patriarchæ fuit persuasum, ut non veniret quoniam inimici sui custodi-
ebant eum, ipse Dns Patriarcha dixit velle ire, et velle immolari pro Ecclesia Dei et sic
veniens cum comitiva sua unde Gentes Dni Comitis Goritiæ, Dnus Henricus de Spilim-
bergo, et illi de Vilalta cum aliquibus alijs Nobilibus Patriæ venerant in campaneam
qui dicitur Archonolt, ibi egressi fuerunt Dnum Patriarcham, et comitivam suam, et
violenter bellaverunt, et in ipso Bello mortuus fuit dictus Dnus Patriarcha, et dicitur
quod in loco in quo D. Patriarcha interfectus fuit, nunquam nata fuit Herba, et
capti fuerunt Dnus Franciscus et Girardus supradictus Ser Franciscus de Nimis et Ser
Hector de Minlitis de Utino et quamplures alij, et quidam filius supradicti Dni Gerardi
de Cucanea: postea homines de Spilimbergo acceperunt corpus dicti D. Patriarchæ,

et reduxerunt

Et posuerunt eum super uno carru cum duabus meretricibus, videlicet una ad ~~caut~~ caput et alia ad pedes, et miserunt eum Utinum dicentes, accipite Patriarcham vestrum Sanctum. et in Utino in Ecclesia maiori honorifice per Utinenses fuit sepultus, et postea multa miracula fecit, et quotidie facit ut aparet in libro miraculorum, qui est Utini in Ecclesia ~~maioris~~ maiori: Sedit annos ix. menses undecim postea facta fuit vendicta de eius morte per Patriarcham sequentem.

73 Nicolaus Patriarcha gedu Doni Joannis Regis Boemiæ, et frater Doni Caroli Imperatoris fuit factus Patriarcha in 1351 die 18 Maij sedit annis septem mensibus 9 dies 8, et per supradictum Dnum Patriarcham captum fuit castrum Prepoti, et cum gente Doni Comitis Goritiæ, et Castellanis Forijulij exterminauerunt, et per terram deiecerunt castrum Prepoti, cum eximio Belligero gentis armigero eodem tempore Marescalus Doni Nicolai Patriarchæ cepit in Aquilejs dominum Joannem Franciscum de Castello Prepoti, et Prepotum filium Dni Joannis Francisci, et unum alium Simenem, et fregit dictus Marescalus hospitium ubi erat dictus Dnus Franciscus et ibi eum cepit ~~cum~~ cum dito filio suo die 11. sequenti die tercia 7bris, dito Dno Joanne Francisco abrasum fuit caput, et positum super una lancea de cauallo et portatum fuit circa circum terram Utinensem, et postea positum fuit super porta, qua itur in castellum Utini et die Sabbato prædictus D. Patriarcha cepit Dnum Armanum de Carnea, et filium eius et fratrem et eos posuit in suis carceribus et die 18. decembris fecit decapitare Dnum Armanum de carnea, eodem millesimo 1352 de mense Januarij destrui fecit castrum Sorcenti inferioris. item dictus D. Patriarcha destrui fecit partem castri de Mels, item diruptum fuit castrum de Castellano per Utinenses et lapides dicti castri conducti fuerunt Utini. item dictus Dominus Patriarcha accepit castrum Suffumbergi in se et ~~sequaledit~~ suspendit Dnum Henricum, et de dito castro expulit consortes dicti

1353 Dni Henrici. Item anno Domini 1353 dictus D. Patriarcha fecit sequestrare Dominum Federicum de Portis, et dirupta fuit domus Doni Francisci de Vilalta per comune Utini item dictus D. Patriarcha presentauit Castelatum et breui ibi tempore mansit, et dictus D. Patriarcha omnia supradicta fecit pro vendicta mortis Dni Patriarchæ Beltrandi. Item anno Dni 1353 die 13 octobris serenissimus dictus D. Carolus filius Regis Boemiæ, et frater prædicti Dni Nicolai Patriarchæ qui electus erat Romanorum Rex, applicauit Glemonam, et in castrum equitauit Utini eodem millesimo prædictus serenissimus D. Carolus ab Ecclesia diuina vocatus Imperator ad postulationem ut dicebatur Venetorum, et Iunium recessit à Domo causa eundi Romam pro Imperiali corona venissetque per Forum Julij Patriarcha Nicolaus, eius frater etiam recessit a Patria Forijulij, nec non multi Nobiles inter quos fuerunt Valter Bertoldus de Spilinbergo D. Franciscus de Sauorgnano D. Paganus de Sauorgnano, et D. Girardus de Carnea et multi alij Nobiles de Patria.

Excelsa Domina Imperatrix comiux dicti Domini Caroli Regis Romanorum hospitata fuit in nostro
1355 Dominorum de Spilinbergo die vigesimo Januarii 1355 die quinta Aprilis predictus Dominus cum
una cum Domina sua per manus Domini Cardinalis Hostiensis in Ecclesia S. Petri de Roma quam
Dominus Cardinalis ab Innocentio Papa fuit legatus cum solemnitatibus cum gaudio fuit cum
Imperiali Diademate coronatus, qui Serenissimus D. Imperator super pontem Tiberis multos
creauit Milites inter quos fuit D. Vldericus de Spiuinbergo, qui ivit quatuor de primis
militibus creatus, et primus patrie Forijulij, post vero ipsius creationem per ordinem
fuerunt ab eodem Domino Imperatore creati Nobiles viri Eodaricus de Cucanea post
eorum creationem sequentes, ultra mille quinquaginta creati fuerunt et reuerti cum gaudio
et exultatione 1355. Die 30 exeunte Iulio dictus Dominus Patriarcha Nicolaus de hoc
seculo migrauit in Ciuitate Belluni, et ingressus est tramitus universe carnis deinde
portatum fuit Vtinum, eius corpus est, in Ecclesia maiori Vtinensi ante altare maius
ubi Presbiter tenet pedes quod dicit confessionem sub lapide marmoreo humi positum est.

74 Ludouicus della Torre de Milano Patriarcha sedit annis sex mensibus 2 diebus 19 qui
1359 creatus fuit Patriarcha 1359. item anno Domini 1361 die 20 Martij illi de S. Daniele
furati fuerunt, castrum varmi inferioris Dominus Bethelamo de Vtino affinis Dominorum de
Spilimbergo pro eo quod D. Ludouicus Patriarcha voluit procedere ad restitutionem
faciendam, Sic in generali colloquio fuit declaratus Dominus Valter Bertholdus et Henricus frater
de Spilimbergo irati cum Domino Patriarcha Patriarchus combuserunt Eaium et Vacilem, item, m
dictus Dominus Patriarcha misit gentes ad damnificandum Dominos de Spilimbergo et cucurre-
runt ad Villam Barbiani pro comburendo, et ipso die mortuus fuit quidam familiaris Domini
Patriarche et vulnerati aliqui, et deinde fuerunt ad S. Danielem in eodem millesimo die
13 Augusti applicuerunt octo centum homines Armigeri in Forosilio quam Villam nouam
uoce castrum Caput, quos Dominus Dux Rodulfus Austrie miserat ante se ad damni-
ficandum Patriam Forijulij apud Villam nouam prope Cagranum, pro eo quod illi de
Glemona, et de Pamperga acceperant Selusam et damnificauerint Venzonum, et quia Mer-
catores Domini Ducis per illos de Pamperga de Ciuitate de Glemona, et de S. Daniele
desolati fuerant et non fiebat eis restitutio bonorum ablatorum, eodem millesimo 16
Augusti dicte gentes cucurrerunt ad S. Danielem, et D. de Spilimbergo, de Ragonea,
et Portu Naonis, et de Prata fuerunt cum eis, et ibi steterunt diebus 15 et combuse-
runt Villam S. Danielis et reuinauerunt, et deinde recesserunt et iuerunt Suridam,
et ibi steterunt diebus 7 et data fuit eis Cortina Sedeiani et Gradiscie, ex pacto,
quod homines, et bona eorum essent salua, et Salua eodem Millesimo die 27 Augusti
Domini Duces Austrie Dominus Rodulphus, Federicus applicuere Goritiam cum magna Comi-
tiua nro 14 Militum equit. et deinde venerunt Marozanum et acceperunt
eum, et Budrium cum pactis, et tunc Abbas Rosacensis iuravit et stetit cum dictis
Ducibus, et venerunt ante Vtinum et ibi steterunt dies 4 et die 12 7bris fuerunt

facta

Facta pacta inter Dominos Duces, et Dominum Patriarcham Ludovicum, videlicet, quod ipse Dominus Patri-
archa, cum duodecim aliorum Nobilium Forijulij, quos Duces volent eligere, et deinde deberent
in Vienam et ibi expectare Duces, et deinde ad Dominum Carolum Imperatorem et in eum et in Dominum
Rodulphum compromitentte, et obedire sicut deffinivent, et illis diebus mortuus est
Nardio Burgundiensis in domo sua, et illis diebus Dominus Dux Federicus accepit iter
suum versus Venetias, et Dominus Patriarcha post eum, et antequam iret,
Dominus Comes Goritiae dedit unam de suis filiabus in uxorem eidem fratri Domini Ducis
Austriae, et deinde Dominus Dux Rodulphus accepit iter suum Venetijs, et ei
factus fuit maximus honor per Venetos, et ibi mansit diebus 7. die vero
quinto Ebris dictus D. Dux accepit iter suum versus Goritiam, et cum ipse aplicuerit in
Foroiulio stetit duobus diebus, et tunc D. Franciscus Savorgnanus, D. Simon de
Valvasono precedendo Duces secuti sunt D. Patriarcham et aplicuerunt in
Vienam, Dominus Patriarcha cum suis, et D. Franciscus, et D. Simon iuraverunt coram
Duce de non recedendo de Viena sine voluntate prefati D. Ducis anno Domini
1370 die 2da Martij Comunitas Utini comunitas Civitatis Austriae, Comunitas
Glemone cucurrerunt ante Manzanum, et acceperunt eum per vim per eos
impositum, deinde venerunt Budrium, quod proiecerunt per terram, et istis
diebus cucurrerunt ad Cormons, et combusserunt aliquas domos, et de eis fuerunt
multi vulnerati, et mortui, et in illis diebus acceperunt cum pacto cortinam
Quadruvij, et Rivolti, et postquam dies reversi sunt D. Franciscus de Savor-
gnano, et D. Simon de Valvasono, in Foroiulio qui clam recesserunt de Viena,
quos D. Dux volebat mori facere cum absque licentia recesserunt.

76 Marquardus Patriarcha Vernifeus sedit annis XV. Nobilis genere sed Nobiliormente
ab Imperatore Carolo plurima privilegia obtinuit, et cum dicto D. Imperatore
ligam fecit, ac etiam cum iuvantibus contra Venetos, et comburente fecit Caporalos,
et posuit eos ad saccomanum, et in 1381 mortuus est, et in hoc anno incepit
sisma, et mortuus est D. Carolus Imperator, et electus D. Clemens de Bavaria
et sisma inter filios D. Caroli, et illum de Bavaria, et fuerunt duo electi.

77 Philippus de Lancoino Cardinalis fuit electus Cardinalis per Papam, et dedit sibi
Patriarchatum in comendam, et Utinenses cum aliquibus Nobilibus noluerunt eum
cum Patriarcham per comendam, propter quod Dominus Franciscus de Carraria cum magna
Comitiva venit in subsidium ipsius Domini Philippi et Utinenses acceperunt
Auxilium, et gentes a Serenissimo Dominio Venetiarum, et magna guerra fuit in Patria illis
temporibus, et fuit captum Castrum Savorgnani per ipsum Dominum Franciscum de Carraria
fuerunt rupte prope Savorgnanum per illos de Utino cum Gentibus Venetorum et erat
in Utinensis Nobilis pro Venetijs videlicet Dominus Leonardus Zane et duravit guerra
quasi annos sex, postea dictus Dominus Philippus mortuus est Romae, et in illo tempore
erat Sisma, et carebat Imperium.

78 Joannes de Moravia fuit factus Patriarcha, sedit annis sex mensibus XI. hic fuit
homo horribilis et multa consumavit, et devoravit, hic per quosdam suos fecit interfici
Dominum Federicum Militem de Saurgnano, in Ecclesia S. Stefani audiendo missam, et postea
ivit Soferabergum(?), et hoc ad instantiam Domine Elisabethe Lovirce(?), [illegible] Federici
que Domina capta fuit per populum Utinensem, et ducta fuit super plateam Utini
et ibi cum duobus Civibus Utini fuit interfecta, postea dictus Dominus Joannes Patriar-
cha venit in Utino et stetit aliquibus diebus, hinc Dominus Tristanus filius
